

**www.e-rara.ch**

**Joannis Ciampini ... opera in tres tomos distributa**

Ioannis Ciampini ... vetera monimenta, in quibus praecipue musiva opera, sacrarum, profanarumque aedium structura, ac nonnulli antiqui ritus dissertationibus iconibusque illustrantur

**Ciampini, Giovanni Giustino**

**Romae, 1747**

**ETH-Bibliothek Zürich**

Shelf Mark: Rar 1453

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-13856>

Caput X.

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

videtur eruditissimus Du Cange, in sua historia Byzantina, de Familijs Augustis Byzantinis; pag. 97. At si tempus ad trutinam reuocetur, narratum perlegemus, eodem consecrationis anno, scilicet 547. Iustinianū Constantinopoli degisse, quod Nicolaus Alemanus in sua ANEKΔOTA, siue Arcana Historia Procopij Cæsariensis in notis ad pag. 34. lin. 27. animaduertit, vbi sic: In Italiam venisse Ciues Rauennates haud probare possunt; & si dedicationi Ecclesiae S. Vitalis Iustinianum, cum Theodora credant interfuisse, nempe Anno post consulatum Basilij sexto, indictione decima, vt refert Hieronymus Rubeus lib. 3. Nam Theodora eodē illo anno, iisdemq; diebus, Byzantij grauius egrotans, suæque vitæ timens, in Italiam Belisario scribebat, de Ioanninæ illius filiae, & Anastasij nepotis sui coniugio maturando, & tandem quarto nonas Iulias diem clausit extremum. Vide Procopium lib. 3. bell. Gotth. & hic pag. 24. Theophanem ad annum primum, & vigesimum Iustiniani, & has notas ad pag. 24. Venit quidem Rauennam Iustinianus planè adolescens, eoque misus est obses ad Theodoricum Gotthorum Regem à Iustino auunclo exercitus duce, vt Theophilus Iustiniani præceptor exponit.

Quare huic Alemanni obiectioni responderi posse iudico, Iustinianum cum Theodora præfato Anno 547. Constantinopoli degisse, concedendum esse; At non ita strictè, ac limitatè, vt per breue tempus, nempe per mensem circiter, ab ea-

dem Ciuitate ipsi abfuerint, scilicet mense Aprilis, quo tempore Ecclesie consecratio celebrata fuit. Non obstat locorum distantia, nempe Constantinopoli à Rauenna, quæ licet magna sit, nihilominus maritimum est iter, quod breuissimo quandoque completur tempore, quando venti propitij sunt, vt Verno accidere solet: quare peracta consecrationis festiuitate, illicò Iustinianus, & Theodora Constantinopolim rediere, quæ post reditū cæpit morbo detineri, ex quo postea decessit. Hęc mea coniectura; si benigno Lectori non arriserit, addo, quòd res difficillima sit, antiquissima Historiæ veritatem è tenebris eruere, eò magis, quo vna explicata difficultate, alia infurgit, nempe quod Iustiniani, ac Theodoræ facies, ambos in iuuenili ætate eos repræsentat. Et nihilominus præfato anno 547. Iustinianus erat annorum 64. & per consequens, etiam Theodoram prouectæ ætatis etiam fuisse, asserendum est. Quidquid igitur sit; allatas difficultates Eruditoribus explicandas relinquimus: cum contenti simus orta dubia indicasse. Hic benignum Lectorem admonitum volo, si hæc tabulas cum illis ab Alemanno, & Du Cange allatis contulerit, pro certo habeat, meas fideliter, & iuxta prototypum fuisse delineatas.

## C A P V T X.

*De Ecclesia S. Mariæ in Cosmedin, in Rauennati Ciuitate, Anno 553. in suo ornata opere.*

**I**Nter antiquiores Ecclesias Urbis Rauennæ, quæ flos Italiæ, firmamentum

tum Romani Imperij, ornamentum-  
que dignitatis erat, iure hoc annume-  
randa venit Sanctæ Mariæ in Cos-  
medin Ecclesia, sic à græco verbo  
Κοσμεῖω, quod orno significat. Qua-  
mobrem in Cosmedin, quasi in or-  
natu, propter eius miram pul-  
chritudinem denominata fuit. De  
huius Ecclesiæ fundatione, sic sæpe  
laudatus Rubeus in sua Rauennatum  
historia lib. 1. narrat: *sub id tempus*  
(scilicet anno 201.) *Rauennæ D. Theo-*  
*doro Martyri, & D. Mariæ Virgini*  
*in Cosmedin* (ita eam Rubeus appel-  
lat) *templa adificantur. Quod autem*  
*nunc D. Mariæ in Cosmedin vocamus,*  
*fons erat, quo aqua Sacri Baptisma-*  
*tis abluebantur pueri; sequentibus tem-*  
*poribus Theodorico regnante, ab Aria-*  
*nis, ut putant aliqui, extructus. Eius*  
*rei rota ex marmore, que in pavimen-*  
*to est, & D. Ioannis Baptistæ, Chri-*  
*stum Deum Baptizantis imago in te-*  
*studinis centro, argumenta sunt.* Hæc  
de fundatione ab eodem Rubeo relata,  
modo ad Musium in eadem testudine  
formatum transeamus. Testudo hæc  
ad crateris formam extendebatur, re-  
liqua ædificij pars octangularem præ-  
ferebat figuram, ut scribit Fabri in  
suis memorijs antiquæ Rauennæ, ad-  
dens; Musium ab eodem Theodo-  
rico pro suorum Sacerdotum Aria-  
norum vsu fuisse constructum; in  
eodemque S. Ioannis Baptistæ Chri-  
stum Baptizantis, & Prophetæ Moy-  
sis, ac in girum duodecim Apostolo-  
rum imagines affabre insitæ circum-  
spiciuntur, quas Rauennates putant,  
ab Archiepiscopo Sancto Agnello, qui  
ut placet eidem Fabri, in Episcopum  
creatus fuit Anno 553. post expiatam  
ab omni Ariana labe Ecclesiam, fuis-

se additas. Præstat nunc singulas eius-  
dem Musij operis partes perpende-  
re.

In huius crateris centro stat Chri-  
stus Saluator Noster in medio Iorda-  
nis flumine, umbilico tenus immer-  
sus; ad sinistram veluti in rupe emi-  
net B. Ioannes Baptista, pelle cameli  
circumdatus, sinistrâ cambucam, dex-  
terâ pateram aquâ plenam detinens,  
quam supra Saluatoris caput effundit,  
supra quod columba, Spiritus Sa ncti  
symbolum, alas expandit, radiosque  
gratiæ immittit. De huiusmodi per-  
asersionem, & immersionem Baptif-  
mi mysterio, egimus supra cap. IV. De  
sacris fontibus Baptifmalibus simi-  
lemque iconem retulimus in nostro  
opere Vet. Mon. par. 1. cap. 25. ubi  
egimus de Ecclesia S. Ioannis in Fonte  
huius ciuitatis Rauennæ. Ad dexte-  
ram Saluatoris stat vir quidam se-  
dens, quem Moysen designare lau-  
datus putauit Fabri: at iste sinceræ  
veritatis sensus non est; nam non  
Moysen, sed flumen Iordanem re-  
presents; consuevit enim cæca Gen-  
tilitas fluminum capita binis cancro-  
rum brachijs, quæ denticulatis forci-  
pibus sunt instructa, ornare, at ca-  
pillorum loco, arundinum frondes  
exprimere, nec non in manibus arun-  
dinem, iuxtaque corpus vas inclina-  
tum aquam fundens ponere, quæ  
omnia symbola ad ipsa spectant flu-  
mina; nam cancerorum brachia pro-  
priè Iordanem fluuium denotant, cum  
fluuius hic æstiuis mensibus plenior  
factus, eodem modo, quo & Nilus,  
agros plurimos inundet, ut narrat  
Aristea, seu quidam alius Auctor ad  
Philocratem fratrem in historia 70.  
Interpretum. Sol enim quando ingre-  
ditur





ditur Cancrī signum, tunc verā inchoat  
 estatē; & cum estas calore abundet, &  
 aquā etiam indicata per piscem can-  
 crum ostendat humidum, ex quibus  
 rerum omnium generatio resultat,  
 cum tota generationis vis non nisi in  
 humido, & calido consistat. Insuper  
 arundines ad fluminum ripas nasci so-  
 lent; vas ex quo aqua effluit, ipsum  
 amnem fluentem significat: & hæc fa-  
 tis de hac figura. Modo exteriores con-  
 sideremus, ac incipiamus à numero I.  
 vbi gemmatum cernitur folium, su-  
 pra quod est puluinar, & supra hoc  
 gemmata attollitur crux: non valdè  
 absimilem retulimus iconem in cap.  
 22. nostri operis Vet. Mon. par. I. vbi  
 aliqua de Cruce gemmata, & throno  
 exposuimus, ideò breuitatis gratiā ca-  
 lamum suspendimus, & benignum  
 Lectorem ad eundem remittimus lo-  
 cum. Ad eiusdem throni sinistram  
 stat S. Petrus duas clauēs manibus  
 stringens, quæ duæ sunt illæ clauēs,  
 quas Christus Dominus noster ei tri-  
 buit, dum dixit: *Tibi dabo clauēs Re-*  
*gni Cœlorum, & quodcunque liga-*  
*ueris super terram erit ligatum & in*  
*cœlis, & quodcunque solueris super*  
*terram erit solutum & in cœlis,* vt  
 Matthæus cap. 16. num. 19. scribit.  
 Ad dexteram verò prædicti throni est  
 S. Paulus volumen manibus gestans;  
 quid per volumen indicetur, nil aliud  
 esse puto, nisi illam doctrinam, quam  
 Christus ei infuderat, dum dixit: *Vas*  
*electionis est mihi iste, vt portet nomen*  
*meum coram gentibus, & Regibus,*  
*& filijs Israel.* Aliqua etiam dicenda  
 essent, cur Sanctus Paulus à dextris,  
 & Sanctus Petrus à sinistris expressi  
 sint, prout etiā hodie in sigillis plum-  
 beis, quæ Bullis Pontificijs appendun-

tur, obseruatur, quæ cum sit à pluri-  
 bus agitata quæstio; Ideò breuitatis  
 gratia prætermittitur; solummodo  
 fat sit indicare, B. Petrum Damianum  
 in Epistola ad Desiderium Abbatem  
 Montis Casini, Bellarminum Tom. 1.  
 lib. 1. de Rom. Pon. cap. 27. & quo-  
 ad Bullas Pontificias Pyrrhum Con-  
 radum in sua Praxi Dispensationum  
 Apostolicarum, lib. 2. cap. 4. num. 7.  
 hanc fusè tractare quæstionem. Reli-  
 quæ autem imagines ceteros decem  
 Apostolos representant, qui coronas  
 aureas manibus deferunt, quasi in  
 actu oblationis. Similia ferè Hiero-  
 glyphica retulimus in cap. 25. dicti  
 nostri operis Vet. Mon. par. 1. ideò  
 ne appareat nos velle refrigerare cram-  
 bem, & cum gaudeant breuitate Mo-  
 derni, ad alia properamus.

## C A P V T XI.

*De Ecclesia S. Apollinaris in Classe*  
*Rauennæ, ornata musiuo opere,*  
*circa Annum 567.*

**E**Vntes in Vniuersum Mundum;  
 prædicate Euangelium omni  
 Creaturæ. Marc. 16. 15. Præceptum  
 Domini Saluatoris Nostri est, suis  
 Apostolis datum, quod cum B. Petri  
 Apostolorum Principis cordi insitum  
 esset, eidem ipse Dominus animarum  
 tradidit curam: *Tibi dabo clauēs Re-*  
*gni Cœlorum, & quodcunque ligaue-*  
*ris super terram, erit ligatum & in*  
*Cœlis; & quodcunque solueris super*  
*terram, erit solutum, & in Cœlis.*  
 Matt. 16. 19. Volens propterea idem  
 B. Petrus Dominicum mandatum  
 executioni committere, quod per se  
 ipsum facere non potuit, per alios  
 exequi